



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Clericis non residentibus. Consilium CCXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

Canonicatibus & præbendis dici ex æquo affecta; ut nec è diverso bona dictarum capellaniarum seu vicariarum simpliciter sunt assignata mensæ Capitulari, sed restrictè huiusmodi eorundem canonicatum & præbendarum massa communis. Sic quod in hoc Capitulo constitutæ sunt duæ massæ: prior ex bonis dictorum Monasteriorum pro noviter erectis decem Canonicatibus & præbendis; posterior ex bonis capellaniarum & vicariarum pro alijs decem Canonicatibus & præbendis transformatis ex decem melioribus seu pinguioribus capellanijs seu vicarijs Parochialis Ecclesiæ S. Martini Groeningensis. Vnde cum verborum nulla sit ambiguitas in eorum clara luce, dubitationi quoque aut interpretationi circa Pontificis conjecturam mentem nullus potest superesse locus, l. *Constitutus* §. cum ita in fine *De verb. oblig.* Neque inconvenientis est, ut in eodem Capitulo, quamvis ex æquo omnes sint Canonici, inæqualis sit præbendarum distributio seu dotatio, & uni Canonico plures, quàm alteri, attributi & assignati fructus, c. *Si pluribus* *De præben.* lib. 6. & una præbenda sit aliâ melior, c. *Statutum* & ibi gloss. *De maior. & obed.* * nam & in multis Ecclesijs recepta est consuetudo optandi meliores præbendas, cum vacant, derelictis tenuioribus, c. *fin.* *De consuet.* lib. 6. Cum alioquin in dicta Bulla non obscure conspiciatur & deprehendatur causa, cur his primis decem pinguius provideatur: quia scilicet prima illarum Episcopo, aliæ novem tribus Theologis, tribus Canonis, & tribus graduatis nobilibus sint affectæ, ac onere & titulo dignitatum condecoratæ; ut meritis in illis seculariter pro modo oneris, modus quoque præmij sit constitutus. Quæ consideratio per se facile potest omnem invidiam avertere, & decem alios Canonicos intra cancellos suæ massæ ex bonis dictarum capellaniarum seu vicariarum constare continere.

De Clericis non residentibus.

SUMMARIVM.

Distributiones quotidianæ an æquales esse debeant. Episcopus an ob plures Canonicatus & præbendas mensæ Episcopali applicatos plures distributiones percipere debeat.

1. Argumentum à minore ad maius.
2. Distributiones quotidianæ non computari inter fructus beneficiorum.

CONSILIUM CCXI.

AD commodiorem resolutionem questionis propositæ admodum expediret scire, quæ nam hæcenus fuerit observata forma in distributionibus quotidianis, & an in ijs percipiendis persona Reverendissimi Episcopi Iprensis in quadruplici qualitate representata fuerit, & quadruplicem portionem perceperit; unam ratione Canoniciatus & præbendæ, cujus respectu est Capitularis; & alias tres ratione trium suppressorum Canonicatum & præbendarum mensæ Episcopali applicatorum, an verò in illis hæcenus alijs Canonis adæquatus fuerit; huiusmodi enim alteruter usus & modus distributionis si jam per decem annos observatus & continuatus fuit,

pro interpretatione dictæ Bullæ accipiendus esset: cum ab his, quæ ex ulu certam interpretationem acceperunt, non sit facile recedendum, l. *Minime* *De leg.* c. 1. in verb. *Iuxta Ecclesiæ consuetudinem* *De cler. non resid.* lib. 6. Cæterum si hæc res nullo præiudicio huiusmodi interpretationis aut observationis premitur, omniaque adhuc integra sunt, videtur nobis Reverendissimi Episcopi conditionem in quotidianis distributionibus nihilo esse maiorem aut privilegiatorem, quàm est aliorum Canoncorum, *Felmsus & Guido Papa in c. Cum olim ne sent. & re iud.* ideo quòd in Bulla erectionis personæ solius Decani ius præcipuum, quod scilicet duplicem portionem in distributionibus in choro percipiat, attribuat: id enim evidens est argumentum contrariæ voluntatis in alijs; quia quod uni specialiter attribuitur, alijs denegatum videtur, nec ad alios extendi debet, l. *Quod vero l. ius singulare* *De leg. c. Quæ à iure* *De regul. iur.* lib. 6. ne quidem ex majoritate rationis. * ut nec à minore ad maius rectè ducitur argumentum in his, quæ specialem habent concessionem, *Nicolaus Everardi præf. in loco à minori;* sed quod specialiter uni concessum invenitur, alteri negatum censetur, c. *Quod alicui gratiose* *De reg. iur.* lib. 6. Potissimum quia in eadem Bulla Domino Episcopo in suffragijs seu votis electionum, nulla comperitur attributa prerogativa sed expresse redactus ad æqualitatem cum alijs; excepto solo calu paritatis votorum seu suffragiorum. Quod etiam evidenter percipitur ex eo, quòd per eandem Bullam omnium præbendarum proventus recipiantur dividi in duas æquales partes; quarum altera destinari & impendi debeat pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis officijs in choro deservierint; ex quibus si Episcopo quadruplex portio attribueretur, magna committeretur inæqualitas, si non etiam injuria fieret alijs Canonis; præsertim quòd ex altera parte non sit verosimile Dominum Episcopum velle, ut trium suppressarum mensæ Episcopali unitarum præbendarum fructus ad hanc quoque distributionem pro medietate applicentur. Quemadmodum nec hoc verosimile est, in hac translatione & unione Canonicatum & præbendarum pridem Ecclesiæ Morinensis ad novam Ecclesiam Iprensensem facta, servatam esse illam priorem observationem distributionum, quæ olim in Ecclesia Morinensi esse solebat; sed in unam massam coniectis omnibus bonis, quæ ex divisione bonorum Episcopatus & Ecclesiæ Morinensis, partim Regno Franciæ, partim inferiori Germaniæ attributa sunt, unam illorum, quatenus huic Ecclesiæ Iprensi attributa sunt, factam esse massam, omniaque illa sic debere haberi, quasi unius generis & per omnia conformia, distributionum quotidianarum pristina illâ formâ mutatâ in hanc novam, quam præscribit hæc Bulla; ut scilicet omnium præbendarum proventus in duas partes dividantur; & altera illorum pro grosso præbendarum sit, altera pro distributionibus quotidianis.

Nec est verosimile Pontificis dismembrantis, suppressis, & unientis illam fuisse mentem, ut præter hanc novam distributionum ordinationem, vetus quoque illa, cujus olim usus fuerat in Ec-

in Ecclesia Morinensi, proportionabiliter servaretur: nam si vetus illa leparatio distributionum a grosso præbendæ retinenda esset, iam durior loco constitueretur Episcopus; quia ipsius mensæ unita tantum sunt bona & proventus trium illarum præbendarum; * quorum bonorum & proventuum appellatione nemo dicit contineri distributiones quotidianas, si hæc consensu omnium in unam massam non admittatur: cum quotidianæ distributiones planè manuales sint & ratione interessentia corporalis in divinis officiis quotidie dentur, *Cardin. Zabarella cons. 53. Vico quod isle, 10. Bap. Ferret. consil. 182. Quod modernus; ideoque extra corpus bonorum, proventuum, seu fructuum beneficij sint, nec in valore ipsius computentur, Oldrad. cons. 118. Ex virtute, vel in c. Advices nu. 34. de rescript. Paul. Paris. cons. 32. Licet regulariter nu. 6. & seq. & consil. 33. nu. 4. & seq. vol. 4.* Itaque respectu dictarum trium suppressarum & mensæ Episcopali applicatarum præbendarum, nihil plus juris potest Episcopus prætere; quia ratione illarum non est Canonicus, sed tantum ratione hujus, quæ illi ex decem de novo erectis Canonicatibus attributa est, eo fine, ut esset Canonicus Capitularis: qui cum sit tantum simplex, jure plurium in distributionibus censi non potest. Quæ ratio admodum stringit, & Episcopum plus in distributionibus prætere posse non patitur.

De Clericis non residentibus.

SYMMARIUM.

Distributio fructuum inter Canonicos.

1. Residentia fieri potest sanæ anno gratia aut domus mortuaria.
2. Distributiones deficientium quibus cedant.
3. Accrescendi ubi obvenit primo re & verbis conjuncti.
4. Distributio fructuum & emolumentorum quomodo fiat inter Canonicos.
5. Accessio non est sublatæ principali.
6. Distributiones quotidiana præstantur absentibus in servitio Episcopi.

CONSILIUM CCXII.

B VILIA Apostolica, per quam extrema perfectio erectioni novi Episcopatus Namurcensis imponitur, inter alia continet: quod ut Episcopus Namurcensis Ecclesiam suam Cathedralē personis eruditis ad jurisdictionem inibi exercendam, ceteraque munera Ecclesiastica obeunda, idoneis debite instructam jugiterque decoratam habeat, Decanatum & tredecim Canonicatus & totidem præbendas, ac omnia & singula alia dignitatis officia Ecclesiæ S. Petri arcis Namurcensis, cum primum illa per celum vel decessum vacare contingeret, perpetuo essent suppressa & extincta: & præterea statuit & ordinavit Pontifex, quod ex omnibus Canonicatibus & præbendis Ecclesiæ S. Albani Namurcensis decem, quos primo per cessum vel decessum vacare contingeret, ita perpetuo affecti remanerent, quod Episcopus Namurcensis unum & unam omnium primo vacantes tamquam mensæ Episcopali perpetuo unitos obtineret: reliqui vero novem Canonicatus & præbendæ præ-

dicti, tribus Magistris vel Licentiis in Theologia, tribus Doctoribus Decretorum, seu in ea Licentiis, ac tribus alijs nobilibus eius diocesis etiam in iure vel theologia graduatis, in perpetuum concedi & assignari deberent. Et quia fructus, redditus, & proventus dictæ mensæ Episcopalis Namurcensis, nec non novem prædictorum Canonicatum & præbendarum S. Albani, sic ut præmittitur affectorum, tenuiores erant, quàm conveniebat pro commoda sustentatione unius Episcopi & virorum Doctorum ac gravium, qui munera illis injuncta obire commodè possent, eidem prædictæ mensæ Episcopali trium; præfatis vero novem Canonicatibus & præbendis graduatis, uti etiam præmittitur, affectis, reliquorum decem Canonicatum & præbendarum suppressorum, fructus & emolumenta, per singulos novem Canonicos graduatos prædictos æquis portionibus dividenda, perpetuo applicavit & appropriavit. Inter alia quoque ordinavit, quod quoniam impia hæreticorum studia viros doctos ab Ecclesijs suis abesse non patiuntur, si Canonici graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros præbendæ suæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant. His constitutis in progressu temporis primo vacante Canonicatu in Ecclesia Namurcensi mensæ Episcopali relicto, tres alij proximè vacantes secundum præscriptum ordinem in Bulla tribus graduatis collati sunt; quorum unus tantum residet: alij duo ideo non resident, quod ex consuetudine seu statuto Capituli, aliquo ex Canonicis decedente, primi anni sic vacantis Canonicatus fructus cedant domui mortuariæ decedentis; secundi vero cedant ejusdem Ecclesiæ fabricæ.

Quæritur, an propter horum duorum absentium Canonicorum, aut etiam plurium, cum omnes affecti Canonicatus & præbendæ per occurrentes primas vacationes collati erunt, fructus suppressorum Canonicatum pro portione eorundem absentium alijs, & quibus, hoc est, an solis graduatis, an verò toti Capitulo accrescant? Quid item statuendum sit de fructibus dictorum suppressorum Canonicatum in difformitate vacationis eorundem, & vacationis dictorum novem affectorum; si scilicet prius plures suppressi quàm affecti vacent; item an cum ex graduatis aliqua ex causa in dicta Bulla comprehensa legitime abfuerint, puta ab Episcopo vel Capitulo ad visitationem missi, iidem sic absentes in aliorum graduatorum absentium ex non permessa causa fructibus, qui ob eandem absentiam committuntur, cum alijs graduatis participabunt? an vero sic commissi fructus ad solos personaliter presentes seu residentes pertinebunt?

In prima quæstione dubium non est, quin commissio, & juri accrescendi locus sit; cum Pontificiæ Bullæ verba ea in parte sint aperta, hæc scilicet, *fructus illius anni amittant & Capitulo cedant.* Neque quicquam ad excusationem facit, quod horum duorum Canonicorum affecti Canonicatus & præbendæ nondum liberi sint, propterea quod durante primo biennio domus mortuaria & fabrica illorum fructus auferant: nam id impedimen-